

more subterfugia, per quæ condignas tantæ impietatis penas declinare, vel earum minorationem, & relaxationem præterdere, vel obtinere possent, motu, scientia, deliberatione, ac potestatis plenitudine paribus, atque etiam Venerabilium Fratrum nostrorum. S. R. E. Cardinalium in tota Republica Christiana adversus hæreticam pravitatem generalium Inquisitorum à S. Sede specialiter deputatorum sensui, & consilio Nobis alias super hac re insinuato in hærentes, ea, quæ sequuntur opportune statuenda, & declaranda censuimus.

§. 4. Quoties igitur per legitimas probationes constiterit, vel Hostiam, vel Particulas à Reo subreptas, sive alio modo asportatas, atque retentas, in Sacro prius Repitorio, seu Tabernaculo, vel in Sacra Pyxide, aut Oshensorio asseratas, indeque sacrilego ausu extractas, atque asportatas fuisse; vel eidem Reo constituto, aut alteri personæ, in actu Communionis à Sacerdote traditas, deindeque, vel in eodem Communionis actu, vel post illum, ab ipso sumente ex proprio ore extractas fuisse; tunc satis, & abunde fundatam præsumptionem Fisco suppetere declaramus, pro asserenda eandem Hostiarum, seu Particularum consecratione; ad quam excludendam nonnulli claras, & concludentes in contrarium probationes admitti debere decernimus; quarum perficiendarum onus ad ipsum Reum pertinere dubitandum non est, ac ne in posterum dubitari contingat, præsentis declarationis tenore statuiamus.

§. 5. Inutiliter etiam à Reis, vel ab eorum Defensoribus proponeretur exceptio non probatæ pravæ intentionis abutendi Sacramento ad malum, vel sacrilegum finem, nisi concludentibus, & juridicis probationibus, adstruendis pariter ab ipsis Reis, in quos tale onus præsentis declarationis vigore expresse refundimus; hujusmodi exceptio constabilita fuerit, & iusta, aut excusabilis ratio asportationis, aut retentionis Sacramenti, plene comprobetur. Alias etenim Fisco semper absisteret valida, & legitima præsumptio de intentionis pravitate, quotiescumque probaverit ipsam Sacra Hostiæ, vel Particulæ subreptionem, asportationem, aut retentionem: absque eo quod, super malo, vel sacrilego fine, speciales probationes debeat cumulare. Itaque neque istam, neque aliam superius memoratam exceptionem, ubi sufficienter, ut supra, probatæ non fuerint, impiis tantum Sacramenti violatoribus ullatenus suffragari volumus, quominus omnibus, & singulis penis, etiam pro prima vice traditionis brachio Saculari, & quoad Ecclesiasticos, degradationis realis, & traditionis pariter pro prima vice brachio Saculari, in præfatis, & antiquioribus Prædecessorum nostrorum, & juris sanctionibus, contra hujusmodi nunquam satis detestandi facinoris Reos juste, ac sapienter constitutis, subiciantur, & cum effectu plectantur, & puniantur.

§. 6. Decernentes præsentis nostras Litteras, & in eis contenta quæcumque, etiam ex eo, quod quilibet in præmissis, seu eorum aliquo, jus, vel interesse habentes, seu habere quomodolibet prætendentes, cujusvis status, gradus, Ordinis, præminentie, vel dignitatis existant, sive alias specificæ, & individua mentione, & expressione digni, illis non consenserint, nec ad ea vocati, & auditi, neque causæ propter quas eadem præsentis emanaverint, adductæ, verificatæ, vel sufficienter, aut ullo modo justificatæ fuerint, aut ex alia qualibet, etiam quantumvis juridica, & privilegiata causa, colore, prætextu, & capite, etiam in corpore juris clauso; nullo inquam tempore de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet, etiam quantumvis magno, ac formali, & substantiali defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, aut ad terminos juris reduci, seu adversus illas aperiitionis oris, restitutionis in integrum, aliudve quodcumque juris, facti, vel gratiæ remedium intentari, vel impetrari, aut etiam motu pari, & de Apostolicæ potestatis plenitudine simili concessio, vel emanato quempiam in Judicio, vel extra illud uti, seu se juvare ullo modo posse; sed ipsas præsentis semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, stitque plenarias, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac ab illis ad quos spectat, & pro tempore quodcumque spectabit, inviolabiliter, & inconcussè observari.

§. 7. Sicque, & non aliter in præmissis censerit, atque ita per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum, Palatii Apostolici Auditores, ac ejusdem Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, & Apostolicæ Sedis prædictæ Nuncios, aliosque quoslibet quæcumque præminentia, ac potestate fungentes, & functuros, sublati eis, & eorum cultibus aliter judicandi, & interpretandi facultate, judicari, & de finiri debere, ac irritum, & inane, si secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 8. Non obstantibus, quatenus opus sit, nostræ, & Cancellariæ Apostolicæ Regulae de jure hæc non tollendo; aliisque Apostolicis, ac in Universalibus, Provincialibus, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon quibusvis, etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, exemptionibus, & indulgentiis, etiam in corpore juris clausis, aut Litteris Apostolicis quibusvis Personis, collegiis, Locis, Ordinibus, etiam Militaribus, Congregationibus, Societatibus, & Institutis, etiam Societatis Jesu, & Sancti Joannis Hierosolymitani, aliisque quibuslibet specificæ, & individua mentione

dig-

dignis, etiam sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam clausulis, & Decretis, etiam irritantibus in genere, vel in specie, etiam motu simili, & de Apostolicæ potestatis plenitudine, seu consistorialiter, ac alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, ac pluries confirmatis, approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si, pro illorum sufficienti derogatione, de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specificæ, & individua mentio, seu quavis alia expressio ad id servanda foret, illorum tenores, formas, causas, & occasiones præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, & exactissime servatis, & specificatis respectively habentes, illis alias in suo robore permaneris, hac vice dumtaxat, ad præmissorum effectum plenissime, & amplissime motu pari derogamus, & derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§. 9. Volumus insuper, & eadem auctoritate prædicta mandamus, ut eadem præsentis, & in eis contenta quæcumque ad omnium notitiam facilius deducantur, nec quisquam de ipsis ignorantiam prætereunda valeat, ipsas præsentis, seu earum transumpta, ad Valvas Ecclesiæ S. Joannis in Laterano, & Basilicæ Principis Apostolorum de Urbe, necnon Cancellariæ, & in Acie Campi Floræ per aliquem ex Curatoribus nostris, ut moris est, publicari, &

affigi: Sicque publicatas, & affixas, omnes, & singulos, quos concernunt, seu concernent in futurum perinde afficere, & arcere, ac si unicuique illorum personaliter intimatæ, & notificatæ fuissent.

§. 10. Urque earundem præsentium transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu aliorum Notarii publici subscriptis, ac sigillo Personæ in Ecclesiastica Dignitate constituta munitis, eadem prorsus fides in judicio, & extra illud ubique locorum habeatur, quæ ipsis præsentibus haberetur, si forent exhibita, vel ostensa.

§. 11. Nulli ergo omnino Hominum liceat paginam hanc nostrarum confirmationis, approbationis, innovationis, voluntatis, mandati, statuti, decreti, declarationis, ampliationis, & extensionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumperit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, anno Incarnationis Dominicæ millesimo septingentesimo quadagesimo tertio, tertio nonas Martii, Pontificatus nostri anno quarto. D. Card. Passionei, J. Dataris, Visa de Curia. J. C. Bosehi, J. B. Engenius, Registrata in Secretaria Brevium. Loco Plombi. Publicata die 12. ejusdem mensis, & anni.

## CIRCA INJUSTOS CONTRACTUS,

Ad sequens Cap. 2.

De Usuris, aliisque injustis quæsitibus.

Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, & Ordinariis Italiae.

BENEDICTUS PAPA XIV.

Venerabilis Frater, salutem, & Apostolicam benedictionem.

VIX pervenit ad aures nostras, ob novam controversiam (nempe, an quidam contractus validus judicari debeat) nonnullas per Italiam dissemipari sententias, quæ sanæ doctrinæ haud consentaneæ viderentur; cum statim nostri Apostolici muneris partem esse duximus, opportunum asserere remedium, ne malum ejusmodi, temporis diuturnitate, ac silentio, vires magis acquireret; aditumque ipsi intercludere, ne latius serperet, & incolumes adhuc Italiae Civitates labefactaret.

§. 1. Quapropter eam rationem, consiliumque suscepimus, quo Sedes Apostolica semper uti consuevit: Quippe rem totam explicavimus nonnullis ex Venerabilibus Fratribus nostris Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalibus, qui Sacra Theologia scientia, & Canonica Disciplina studio, ac peritia plurimum com-

mandantur; Accivimus etiam plures Regulares in utraque facultate præstantes; quorum aliquos ex Monachis, alios ex Ordine Mendicantium, alios demum ex Clericis Regularibus selegimus; Præsulem quoque Juris utriusque laurea præditum, & in Foro diu verfatum adhibuimus. Diem quartam indiximus Julii, qui nuper præterit, ut coram Nobis illi omnes convenirent, quibus naturam totius negotii declaravimus; quod illis antea cognitum, perfectumque deprehendimus.

§. 2. Post hæc præcepimus, ut omni partium studio, omnique cupiditate soluti, rem totam accurate perpenderent, suasque opiniones scripto exararent; non tamen expectivimus ab ipsis, ut iudicium ferrent de contractu, qui controversiæ causam initio præbuerat, cum plura documenta non suppetere, quæ necessario ad id requirebantur; sed ut certam de usuris doctrinam constituerent, cui non mediocre detrimentum inferre videbantur ea, quæ nuper in vulgus spargi coeperunt.

I 2

Jul.



Iussa fecerunt universi; nam suas sententias palam declaraverunt in duabus Congregationibus, quarum prima coram Nobis habita est die 18. Julii, altera vero die prima Augusti, qui mensis nuper elapsi sunt; ac demum eadem sententias Congregationis Secretario scriptas tradiderunt.

§. 3. Porro hæc unanimi consensu probaverunt.

I. Peccati genus illud, quod usura vocatur, quodque in contractu mutui propriam suam sedem, & locum habet, in eo est repositum, quod quis ex ipsomet mutuo, quod suapte natura tantumdem datum taxat reddi postulat, quantum receptum est, plus sibi reddi velit, quam est receptum; ideoque ultra sortem, lucrum aliquod, ipsius ratione mutui, sibi deberi contendat. Omne propterea huiusmodi lucrum, quod sortem superet, illicitum, & inaurarium est.

II. Neque vero ad libram labem purgandam, ullum accessit subsidium poterit, vel ex eo, quod id lucrum non excedens, & nimium, sed moderatum; non magnum; sed exiguum sit; vel ex eo, quod is, à quo id lucrum solius causa mutui depositur, non pauper, sed dives existat; nec datum sibi mutuo summam relicturam otiosam, sed ad fortunam suas amplificandas, vel novis coemendis prædiis, vel quæstionibus agitandis negotiis, utilissime sit impensurus. Contra mutui liquidem legem, quæ necessario in dati, atque redditi aequalitate versatur, agere ille convincitur, quisquis, eadem aequalitate semel posita, plus aliquid à quolibet, vi mutui ipsius, cui per æquale iam factum est factum, exigere adhuc non veretur: proindeque si acceperit, restituendo erit obnoxius, ex ejus obligatione Justitiæ, quam commutatam appellant, & cujus est, in humanis contractibus aequalitatem cujusque propriam, & sancte servare, & non servatam, exacte reparare.

III. Per hæc autem nequaquam negatur, posse quandoque una cum mutui contractu quosdam alios, ut ajunt, titulos, eisdemque ipsimet universim naturæ mutui minime innatos, & intrinsecos, forte concurrere, ex quibus justa omnino, legitimaque causa configurat quiddam amplius supra sortem ex mutuo debitam rite exigendi. Neque item negatur, posse multoties pecuniam ab unoquoque suam, per alios diversæ profusæ naturæ à mutui natura contractus, recte collocari, & impendi, sive ad proventus sibi annuos conquirendos, sive etiam ad licitam mercatorem, & negotiationem exercendam, honestate indidem lucra percipiendam.

IV. Quæmodum vero in tot ejusmodi diversis contractuum generibus, si sua cujusque non servatur aequalitas, quidquid plus justo recipitur, si minus ad usuram, (ex eo quod omne mutuum, tam apertum, quam palliatum abste) ac certe ad aliam veram injustitiam, restituendi onus pariter ascendet, spectare compertum est; ita si rite omnia peragantur, & ad Justitiæ libram exigantur, dubi-

tandum non est, quin multiplex in iisdem contractibus licitus modus, & ratio suppetat humanæ commertia, & fructuosam ipsam negotiationem ad publicum commodum conservandi, ac frequentandi. Abste enim à Christianiorum animis, ut per usuras, aut similes alienas injurias, florere posse lucrosa commercia exsultent; cum contra ex ipso Oraculo Divino discamus; quod *Justitia elevat genus, miseris autem facit populos peccatum.*

V. Sed illud diligenter animadvertendum est, falso sibi quemquam, & non nisi temere persuasuram, reperiri semper, ac præsto ubique esse, vel una cum mutuo titulos alios legitimos, vel seclis etiam mutuo, contractus alios justos, quorum vel titularum, vel contractuum prædiorum, quocienscumque pecunia, frumentum, aliòve id generis alteri cuiquam creditur; toties semper liceat auctarium moderatum, ultra sortem integram, salvamque, recipere. Ita si quis senerit, non modo Divinis Documentis, & Catholice Ecclesie de Usura judicio, sed ipsi etiam humano communi sensui, ac naturali rationi proculdubio adversabitur. Neminem enim id saltem latere potest, quod multis in casibus tenetur homo, similes, ac nudo mutuo alteri succurrere, ipso præsertim Christo Domino edocente: *Volens mutuari à te, ne avertaris;* & quod similiter multis in circumstantiis, præter unum mutuum, alteri nulli vero, iustoque contractui locus esse possit. Quisquis igitur suæ conscientie consultum velit, inquirat prius diligenter, oportet, verne cum mutuo iustus alius titulus; verne iustus alter à mutuo contractus occurrat, quorum beneficio, quod quærit lucrum, omnis labis expertus, & immune reddatur.

§. 4. His verbis complectuntur, & expliant Sententias suas Cardinales, ac Theologi, & Viri Canonum peritissimi, quorum consilium in hoc gravissimo negotio postulavimus; Nos quoque privatum studium nostrum conferre in eandem causam non prætermisimus, antequam Congregationes haberentur, & quo tempore habebantur, & ipsi etiam peractis; nam præstantium Virorum suffragia, quæ modo commemoravimus, diligentissime percurrimus. Cum hæc ita sint, approbamus, & confirmamus quæcumque in Sententiis superius expositis continentur; cum Scriptores plane omnes, Theologia, & Canonum Professores, plura Sacrarum Litterarum testimonia, Pontificum Decessorum nostrorum Decreta, Conciliorum, & Patrum auctoritas, ad easdem sententias comprobandas pene conspirare videantur. Insuper apertissime cognovimus Auctores, quibus contrariæ sententiæ referri debent; & eos pariter, qui illas fovent, ac tuerentur, aut illis aniam, seu occasionem præbere videntur; neque ignoramus quanta sapientia, & gravitate defensionem veritatis susceperint Theologi finitimi illis Regionibus, ubi controversiæ ejusmodi principium habuerunt.

§. 5. Quare has Litteras Eocyclicas dedimus universis Italia Archiepiscopis, Episcopis, & Ordinariis, ut hæc tibi, Venerabilis Frater, & cæteris omnibus innotescerent; & quoties Synodos celebrare, ac Populum verba facere, eumque sacris doctrinis instruere contigerit, nihil omnino alienum proferatur ab iis sententiis, quas superius recensimus. Admonemus etiam vehementer, omnem sollicitudinem impendere, ne quis in vestris Diocæsisbus audeat Litteris, aut Sermonibus contrarium docere: Si quis autem prætere detrectaverit, illum obnoxium, & subiectum declaramus pœnis per Sacros Canones in eos propositis, qui mandata Apostolica contempserint, ac violaverint.

§. 6. De contractu autem, qui novas has controversias excitavit, nihil in præsentia statuimus; nihil etiam decernimus modo de aliis contractibus, pro quibus Theologi, & Canonum Interpretes in diversas abeunt sententias; attamen pietatis vestræ Studium, ac Religionem inflammandam existimamus, ut hæc, quæ subjicimus, executioni demandetis.

§. 7. Primum gravissimis verbis Populus vestris ostendite, usuræ labem, ac vitium à Divinis Litteris vehementer improbari; illud quidem varias formas, atque species induere, ut Fideles Christi Sanguine restitutos in libertatem, & gratiam, rursus in extremam ruinam præcipites impellat; quocirca si pecuniam suam collocare velit, diligenter caveant, ne cupiditate omnium malorum fonte riantur, sed potius ab illis, qui doctrinæ, ac virtutis gloria supra cæteros efferuntur, consilium exposcant.

§. 8. Secundo loco, qui viribus suis, ac sapientia ita confidunt, ut responsum ferre de iis quæstionibus non dubitent, (quæ tamen haud exiguum Sacræ Theologiæ, & Canonum scientiam requirunt) ab extremis, quæ semper vitiosa sunt, longe se abstineant: Etenim aliqui tanta severitate de iis rebus judicant, ut quamlibet utilitatem ex pecunia desumptam aculent, tanquam illicitam, & cum usura conjunctam; contra vero nonnulli indulgentes adeo, remissiveque sunt, ut quodcumque emolumentum ab usuræ turpitudine liberum existimant. Suis privatis opinionibus ne nimis adhaerent; sed priusquam responsum reddant, plures Scriptores examinent, qui magis inter cæteros prædicantur; deinde eas partes suscipiant, quas tum ratione, tum auctoritate plane confirmatas intelligent. Quod si disputatio insurgat, dum contractus aliquis in examen adducitur, nullæ omnino contumeliæ in eos configantur, qui contrariam sententiam sequuntur, neque illam gravibus

cenfuris notandam asserant, si præsertim ratione, & præstantium Virorum testimoniis minime careat; si quidem convicia, atque injuriæ vinculum Christianæ charitatis infringunt, & gravissimum Populo offensionem, & scandalum præferunt.

§. 9. Tertio loco, qui ab omni usuræ labe se immunes, & integros præstare volunt, suamque pecuniam ita alteri dare, ut fructum legitimum solummodo percipiant, admonendi sunt, ut contractum instituentium antea declarent, & conditiones inferendas explicent, & quem fructum ex eadem pecunia postulent: Hæc magnopere conferunt non modo ad animi sollicitudinem, & scrupulos evitandos, sed ad ipsum contractum in Foro externo comprobandum: Hæc etiam aditum intercludunt disputationibus, quæ non semel concitanda sunt, ut clare pateat, utrum pecunia, quæ rite data alteri esse videtur, revera tamen palliatam usuram contineat.

§. 10. Quarto loco vos hortamur, ne aditum relinquatis ineptis illorum Sermonibus, qui dicuntur, de usuris hoc tempore quæstionem inlitui, quæ solo nomine contineatur; cum ex pecunia, quæ qualibet ratione alteri conceditur, fructus ut plurimum comparetur. Etenim quam falsum id sit, & à veritate alienum plane deprehendimus, si perpendamus, naturam unius contractus ab alterius natura profusam diversam, & sejunctam esse; & ea pariter discrepare magnopere inter se, quæ à diversis inter se contractibus consequuntur. Revera discernim apertissimum intercedit fructum inter, qui jure licito ex pecunia desumitur, ideoque potest in utroque Foro retineri ac fructum, qui ex pecunia illicite conciliatur, ideoque Fori utriusque judicio restituendus decernitur. Constat igitur, haud inanem de usuris quæstionem hoc tempore proponi ob eam causam, quod ut plurimum ex pecunia, quæ alteri tribuitur, fructus aliqui excipiuntur.

§. 11. Hæc potissimum vobis indicanda censuimus, sperantes fore, ut mandatis executioni quæcumque per has Litteras à Nobis præscribitur; Opportunis quoque remediis consulatis, uti confidimus, si forte ob hanc novam de usuris controversiam in Diocesi vestra turbæ concitentur, vel corrupte ad labefactandum sanæ doctrinæ candorem, & puritatem inducantur: Postremo vobis, & Gregi curæ vestræ concessio, Apostolicam Benedictionem impertimus.

Datum Rome apud S. Mariam Majorem, die prima Novembris MDCCXCV. Pontificatus nostri anno sexto.



## CIRCA PRÆCEPTUM AUDIENDI MISSAM,

Ad Part. 3. dist. Tom. 1. in primò Ecclesie præcepto, &amp; ad Part. 4. de Sacramentis, Cap. 10.

## De celebratione Missarum in Oratoris privatis.

CUM duo mobiles conjuges Diocesis Marficens. obrinissent à Sede Apostolica Indultum pro celebratione Missæ in privato suæ Domus Oratorio sic conceptum: Dilecti Filii, & dilecta in Christo Filia, salutem, & Apostolicam benedictionem. Spirituali consolationi vestræ, quantum cum Domino possimus, benigne consulere, vosque spiritualibus favoribus, & gratis profectui volentes, & vestrum singulares personas à quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis à jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus, quomodolibet innodata: exitum ad effectum presentium dumtaxat consequens harum seise absolventes, & absolutas fore censentes supplicationibus vestro nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinari, vobis qui (ut asseritis) locorum Gallichii, & Mellanelli Marficens. seu alterius Diocesis jurisdictionem temporalem in illis, seu eorum altero exercent. Baro, & Baronissa respective exilitis, ut in privatis Domorum vestræ habitationis in Civitate, & Diocesi Marficens. existen. Oratoriis ad hoc decenter muro extructis, & ornatis, seu extruendis, & ornandis, ab omnibus domesticis usibus liberis per Ordinarium loci prius visitandis, & approbandis, ac de ipsius Ordinarii licentia ejus arbitrio duratura, unam Missam pro unoquoque die, dummodo in eisdem Domibus celebrandi licentia, quæ adhuc duret, alteri concessa non fuerit per quemcumque Sacerdotem ab eodem approbatum seculari, seu de superiorum suorum licentia Regulari, sine tamen quorumcumque jurium Parochialium præjudicio, ac Paschatis Resurrectionis, Pentecostes, & Nativitatis Domini nostri Jesu Christi, aliisque solemnioribus anni festis diebus exceptis, in vestra, ac natorum, consanguineorum, & affinitum in eadem Domo vobiscum insimul habitant. familiarumque, & quoad Oratoria Ruri existentia, etiam in hospitum nobilium, vestrorumque presentia celebrari facere, libere, & licite possitis, & valeatis, ac vestrum quilibet possit, & valeat, auctoritate Apostolica tenore presentium concedimus, & indulgemus: non obstantibus Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque. Volumus autem, quod familiares servitius vestris tempore dictæ Missæ actu non necessarij ibidem Missæ hujusmodi interessentes, ab obligatio-

ne audiendi Missam in Ecclesia diebus festis de præcepto minime liberi censentur.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris die 12. Februarii 1739.

Cumque exorta esset dubitatio, an ex vi hujusmodi Indulti liceret Missam celebrari in privato Oratorio, etiam sine presentia alterutrius ex dictis conjugibus, in quos Indulti concessio directæ erat, cui quidem dubitationi locum dedit opinio nonnullorum Doctorum pro affirmativa, & negativa respective sententia inter se certantem, Sacra Congregatio Concilii, ad quam hujus questionis resolutio delata fuit die 3. Decembris 1740. censuit: Non licere: deinde vero Sanctissimus Dominus noster, reprobata contraria Doctorum sententia, prædictam Sacra Congregationis resolutionem nemum approbavit, verum etiam presentium Decreto publice evulgando voluit omnibus notum fieri, non posse vigore similis Indulti celebrari Missam in privatis Oratoriis, quando eidem Missæ actu non interfuit aliquis ex iis, quibus principaliter Indultum concessum est; Indultum vero principaliter concessum intelligi iis tantum, quibus Breve dirigitur, nimirum personis illis, quæ à tergo ejusdem Brevis proprio nomine nuncupantur, adeo ut sine presentia alienius ex dictis personis minime liceat Missæ Sacrificium peragi, etiam si præsens sit aliquis, sive ex filiis, sive ex consanguineis, sive ex affinitibus, sive ex familiaribus, sive demum ex hospitibus nobilibus in eodem Brevi memoratis, quippe quibus nihil aliud per ejusmodi Brevia conceditur, quam quod unusquisque eorum (dummodo, quod attinet ad familiares juxta clausulam in iisdem Brevis insertam, non sit ex illis actu non necessariis) assilens Missæ, quæ celebratur in Oratorio privato in presentia alicujus ex personis à tergo Brevis proprio nomine nuncupatis, satisfaciat obligationi audiendi Missam diebus festis de præcepto. Sublata igitur, & proscripta quacumque minus germana interpretatione ejusmodi Brevis, & Indultorum in contrarium hæcenus facta, SANCTISSIMA S. S. A. ita declaravit, & servari omnino mandavit, districte præcipiens, ut omnes Episcopi, aliique locorum Ordinarii, etiam tanquam à Sede Apostolica delegati executioni, & observantia hujus Decreti diligenter incumbant, per Canonicas pœnas contra inobedientes eorum arbitrio constituendas. A Card. Genili, Præfatus. C. A. Archiepiscopus Philippen. Secret.

De tollendis abusibus ab Oratoriis privatis in domibus Laicorum. Epistola Encyclica ad Primatem, Archiepiscopos, &amp; Episcopos Regni Poloniae.

BENEDICTUS PAPA XIV.  
Venerabilis Frater, salutem, & Apostolicam  
Benedictionem.

MAGNO cum animi nostri dolore à Nobis intellectum est, nonnullas in Dicecesibus vestris controversias, ac molesta dissidia, propter Oratoria privata, insurrexisse; quibus prædicendis cum omnis per vos cura, ac diligentia adhibita fuerit, non modo optato sine frustrati sitis, sed & in aliorum offensionem incurreritis, vobisque eam acquisiveritis reprehensionem, & notam, quasi nimio rigore adhibendo modum excedatis: optari proinde à vobis, ut per hanc Sanctam Sedem certæ vobis regulæ indicentur, ad quarum normam, sublatis abusibus, privati Oratorii Privilegium exerceri debeat; idque ad eum finem, ut, cum Ordinationes vestre Pontificia auctoritate nostra munitæ fuerint, non solum ab omni malevolorum censura immunes evadant, verum majus semper eisdem honoris, atque estimationis pondus accedat. Licet autem vestræ hujusmodi petitioni satisfacere facillime potuissemus, illos vobis libros indicando, tam in quibus de hujusmodi materia doctrina traditur Prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum Decretis conformis, quam alios etiam, quorum Scriptores, dum de privatis Oratoriis agunt, ea Sanctæ Sedis Decreta, vel dissimulant, vel ignorant, quæ assertionibus eorum omnino opponuntur; nihilominus, cum Nos Venerabiles Personas vestras præcipuo, ac speciali affectu prosecquamur, per Encyclicam hanc Epistolam nostram, qua fieri poterit brevitate, tum eorundem Decessorum nostrorum, tum nostram hanc super re mentem, sensusque aperiemus: quibus quidem, præter obedientiam, quæ eisdem debetur, ratione auctoritatis, à qua; velut à fonte dimanant, aliud etiam nescio quid majoris ponderis inest, materia ipsius nomine, quæ eorum obiectum est, quæque in questione versatur; cum omnis hujusmodi res ab Apostolicis Privilegiis dependeat, quorum explicatio privato jure Summis Pontificibus reservata est, cumque eadem præcipuum normam desumere debeat ex intentione illius, à quo concessio facta est, cuius sensus concedenti semper, quam alii cuilibet notior esse debet; adeo ut quidquid à vobis secundum ea, quæ in Encyclica hac Epistola nostra continentur, ordinabitur, & statuetur, id pro exequendis Summorum Pontificum præscriptis præstitum esse dicendum sit; cujus rei gratia Apostolicorum Delegatorum qualitatem, & auctoritatem Fraternitatibus vestris additam esse censendum est; quam etiam, quatenus opus sit, Nos ipsarum presentium, Litterarum tenore Vobis ad hujusmo-

di effectum concedimus, & impertimur.

§.1. Nihil sane expositum Nobis est, quod ad ea pertineat Sacella, quæ in Episcopalibus Palatiis vestris habetis, pro Missa, vel per vos, vel per alios celebranda; aliæ quædam sacra functione, quæ officii, ac dignitatis vestræ propria sit, obvianda; de quibus late differere Nobis per facile esset, nisi hoc à proposito nostro alienum foret. Quare duo tantummodo vetusta Sacellorum exempla indicabimus, quæ Episcopi in proprio Episcopio à publicis Ecclesiis distincta, ac separata habebant, in quibus Sanctam Missæ Sacrificium celebrabant. Horum primum Sacellum est S. Casii Episcopi Narniensis, de quo S. Gregorius in *Homilia 37. super Evangelia* narrat, quod licet gravi morbo opprimeretur, in Oratorio Episcopi sui Missam fecit, tam ut propriæ, quam ut eorum, qui illum visitatum adveniebant, devotioni satisfaceret. Alterum exemplum est S. Joannis Eleemosynarii Episcopi Alexandrini, qui, sicut in Actis ipsius à Leontio scriptis deprehenditur, illos coarguens, qui Missa nondum peracta discendebant, quum ipse ad eandem celebrandam in publicam Ecclesiam se conferrebat, dicere in more habebat: Ego propter vos descendam in Sanctam Ecclesiam, nam poteram mihi sacere Missam in Episcopio. Prædictum exemplum legere est apud Thomam de *Petri, ac nova Ecclesie disciplina, part. 1. lib. 22. cap. 93. num. 6.* Aliæ exempla in Opere de *Oratoriis privatis* inscripto cap. 6. collecta reperuntur (quod opus novissime à Joanne Baptista Gattico, Canonico Lateranensi Romæ in lucem editum est) per quæ Episcoporum jus circa Sacella in propriis Episcopalibus Palatiis habenda, validis fundamentis innixum comprobatur.

§.2. Huic quidem juri Sacrum Tridentinum Concilium nulla ratione derogavit; quippe quod tantummodo *sess. 22. de Observandis, & evitandis in celebratione Missæ*, propter multa, quæ parum decenter fieri ideatidem contingebat; Episcopis præcepit, ne Secularibus, ac Regularibus Missam celebrare permitterent privatis in Domibus, & extra Ecclesias, aut Oratoria publica, quæ Divino cultui destinata essent; quod nullam cum Capellis, quæ in Episcopalibus Palatiis sunt, rationem habet, quum hæc sub privatarum domorum nomine nunquam censeri possint. Id pluries à Congregatione Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium ejusdem Concilii Tridentini Interpretum, in aliquot ejusdem Resolutionibus, validis rationibus innixis, declaratum est, quas Nos in nostro de *Sacrificio Missæ* Tractatu retulimus, *sess. 2. §. 45. & seq. Latine edit. Patav.* Nos enim, tunc etiam cum in *minoribus* constituti, opus ali-



quod inscriberemus, illud præcipue Nobis gloriosum duximus, ut nulla in parte à Romanæ Curie Tribunalium Sententiis recederemus, quibus ut plurimum à Pontificiis Oraculis auctoritatis robur accedit.

§. 3. Illud tantummodo de hujusmodi Episcoporum Privilegio dici poterat, quod, cum idem ad Sacella, quæ in Episcopis sita sunt, restringeretur, nullo modo Episcopis favere poterat, tum cum iidem extra proprias domos verarentur, cum Visitationem obirent, sive cum iter haberent; adeo ut; cum vel Missam celebrare, vel eidem interesse vellent, ad publicas Ecclesias se conferre cogerentur, vel à locorum Ordinariis veniam petere, ut sibi liceret, vel Missam celebrari facere, vel ipsi eandem celebrare in illa habitatione, in qua forte diversarentur.

§. 4. Verum recol. mem. Prædecessor noster Bonifacius Papa VIII. in Decretali sua: *Quoniam Episcopi de Privilegiis, in Sexto*, male factum reputans, Episcopos sine rationabili causa Missam quotidie non celebrare, aut eidem non interesse, eidem concessit, ut etiam extra propriam Diocesim Altari portatili, seu viatico uterentur: „ Præfenti Constitutione indulgemus iidem, ut Altare possint habere viaticum, & in eo celebrare, ut facere celebrari ubicunque absque interditi transgressione illis permittitur celebrare, vel audire Divina. „ Dignum animadversione verbum est, *Ubicumque*, quod quidem proculdubio loca etiam, quæ extra Diocesim sita sunt, comprehendit.

§. 5. Præcipua etiam animadversionem dicte Congregationis Concilii resolutiones merentur, cum ad Quæsitum eidem propositum, num videlicet Episcopus, qui extra propriam Diocesim est, ad utendum Privilegio Altaris Viatici, petere ejus rei veniam ab Episcopo Locali teneatur; minime cum teneri respondit; aliqui frustratorum Bonifacii VIII. Privilegium fuisse; quoniam illius Pontificis ætate antiquum Jus in suo vigore persistabat, cui, quemadmodum mox dicitur, à Concilio Tridentino postea derogatum fuit, secundum quod Episcopi facultatem concedebant Missam in privatis domibus celebrandi. Similiter, cum eidem Congregationi alterum Quæsitum propositum fuisset: num Privilegio per Bonifacium VIII. Episcopis concessio, vel Tridentinum Concilium, vel Pontificis Pauli V. Decretum, de quo pariter mox dicitur, præjudicium ullum attulissent; nihil pariter Privilegio illi detractum fuisse respondit; cum tam in Concilio, quam in citato Decreto, sublata quidem Episcopis facultas fuerit, qua aliis licentiam in privatis domibus Missam celebrandi concedere possent, verum nequaquam juribus illis expoliati remanerent, quæ proprias personas respiciunt, quæque eorumdem dignitatis, atque characteris propria sunt. Prædictæ resolutiones à Nobis referun-

tur in nostro Tractatu de Sacrificio Missæ Latinæ editionis Patavinæ *sect. 2. §. 42.* necnon in Commentariis bon. mem. Cardinalis Petra ad Constitutiones Apostolicas *tom. 4. super Constitutione 2. Urbani V. num. 15. & seq.* & à Gattico in recenti ejusdem Tractatu de *Oratoriis domesticis in rit. de Usu Altaris portatilis, cap. 12. n. 1. & seq.*

§. 6. Tam verum est, quam quod verissimum, nullam rem majus præjudicium Privilegiis afferre, quam abusum eorumdem; quod quidem satis superque pro vero comprobatum fuit, etiam in casu hujus Privilegii Altaris portatilis, quod concessum Episcopis est, & quod post Concilium Tridentinum, ac Paulinum Decretum illatum remansit. Certis indicis compertum fuit, quosdam Episcopos eodem abuti, qui, vel intra, vel extra Diocesim, ad Laicorum se domos conferebant, atque in iis, vel ipsi Missam celebrabant, vel, ut ibidem plures celebrarentur Missæ faciebant, idque nulla necessitate urgente, sed ad eum tantum finem, vel ut propriam Privilegium ostentarent, vel ut Laicorum petitioni satisfacerent. Cum hujusmodi inconveniens notitia ad Concilii Congregationem pervenisset, non prætermisit hujusmodi excessum prohibere, ejusdemque abusus corrigendi curam Archiepiscopis committere, si quando factum in locis eorum jurisdictioni subiectis contigisset. In Codicibus Actorum, seu Regestis Congregationis prædictæ *lib. 48. Decretorum fol. 471.* Resolutiones ipsæ referuntur. Quia tamen nihilominus malum invalescebat, à felicis recordationis Prædecessore nostro Clemente Papa XI. die 15. Decembris 1703. sequens Decretum publicatum fuit, in quo postquam inconveniens expositum fuit, nimirum: „ Episcopi etiam in aliena Diocesi extra Domum propriæ habitationis in privatis Laicorum Domibus erigi faciunt Altare, ibique per unum, aut per plures à suis Capellanis vivificam Christi Hostiam immolant, *ad remedium gradus sit:* „ Ad abusum hujusmodi eliminandos, &c. Sanctissimus Dominus noster, &c. expresse declarat, „ Episcopis, & his majoribus Prelatis, etiam Cardinalatus honore fulgentibus, neque sub pretextu Privilegii clausi in corpore Juris, neque alio quocumque titulo, ullo modo licere extra domum propriæ habitationis, in domibus Laicis, etiam in propria Diocesi, quod fortius intelligitur in aliena, etiam si Diocesani consensus adhiberetur, erigere Altare, ibique Sacrosanctam Missæ Sacrificium celebrare, sive celebrari facere.

§. 7. Magni hujus Pontificis menti ille tantummodo finis in hoc propositus fuit, ut abusus tollerentur, nunquam autem ut recto Privilegii usui quidquam detraberetur. Et quia relata verba prohibitiva, utpote nimis ampla, & effrenata, cuiquam præbere ansam poterant affirmandi, non licere Episcopis uti Privilegio Altaris Portatilis, tum cum

cum vel Diocesim visitant, vel iter faciunt, aut alia justa de causa extra residentiam sunt, atque in Laicorum domibus morantur; illato de hujusmodi re sermone in Congregationibus, quæ sub Innocentio XIII. immediato Clementis ejusdem Successoris, habitæ fuerunt, quarum Nos tunc in minoribus existentibus, à Secretis fuimus, oportuno factu judicatum est, ut ea, quam mox subjicimus, declaratio fieret, quæ postea inserta fuit in ejusdem Innocentii Litteris incipientibus: *Apostolici Ministerii*, quas idem Pontifex pro constituendo in Hispaniarum Regnis bono Ecclesiasticæ disciplinæ regimine condidit, quasque etiam ejusdem Successoris Benedictus XIII. in *forma specificæ* confirmavit, & ut in omnibus locis pro regula, ac norma haberentur, in Appendice Concilii Romani à se celebrati voluit insertas, ipsam vero declarationem inter ejusdem Concilii decreta reulit Tit. 15. Cap. 3. in quo quidem Concilio Nos quoque ad Sacrorum Canonum Interpretationem adhibiti fuimus. Declarationis verba Nos etiam hic libenter apponimus: „ Declaramus, quod, cum in prædicto Decreto, *de Clem. XI. Decreto sermo est*, statuatur, non licere Episcopis extra domum propriæ habitationis, in domibus Laicis erigere Altare, ibique Sacrosanctum Missæ Sacrificium celebrare, sive celebrari facere; hujusmodi prohibitio intelligenda non sit de domibus, etiam Laicis, in quibus ipsi Episcopi forte, occasione Visitationis, vel itineris, hospitio excipiantur; ut nec etiam quando Episcopi in casibus à jure permisis, vel de speciali Sedis Apostolicæ licentia, absentes à domo propriæ ordinariæ habitationis, moram idcirco faciant in aliena domo per modum similis habitationis; his enim casibus licita, iis erit erectio Altaris ad effectum prædictæ celebrationis, non secus ac in domo propriæ ordinariæ habitationis.

§. 8. Optimum factu judicavimus in Encyclica hæc Epistola nostra exponere vobis hæc, quæ ad Fraternitates vestras præcipue pertinent, nimirum quantum vobis concessum est, quoad Sacella, seu Capellas, quæ in Episcopaliis Palatiis vestris sunt; quantum item Vobis in alienis domibus, & extra vestram Diocesim facere permillum est; causas etiam Concessionium, ac Privilegiorum indicavimus, necnon eorumdem abusus, atque abusum prohibitiones apponimus; tum ut Vos discernere agnoscat, quod intercedit inter Capellas Episcopaliæ Aedium vestrarum, per quas non minus spirituali consolationi, & commodo vestro, quam dignitatis vestræ decori providetur, & privata Oratoria in domibus Laicorum, sive intra, sive extra Diocesim vestram, in quibus aliquando Vobis, pro præcipuo sine hujusmodi commodi, & consolationis vestræ, Privilegio Altaris erigendi, ac celebrandi, vel celebrari faciendi, uti licet, tum vero etiam, ne forte, cum Vos contra abusum privatorum Ora-

toriorum in domibus Laicorum invigilare debeatis, redargutioni illi obnoxii sitis, quod alienos in aliorum domo defectus dum corrigitis, interim vestra domi, atque in propria agenda ratione excessus adhibeatis. Ideoque ad privatorum Oratoriorum propositum, quæ in Domibus Laicorum sunt, gradum facientes, aliqua præmittemus.

§. 9. Primum quidem est, privatorum Oratoriorum in dictis domibus usum ab antiquo tempore repetendum esse; cum constet, Apostolos Sacra Myteria privatis in domibus celebrasse, eumque morem persecutionum tempore servatum fuisse, quemadmodum Christianus Lupus in  *suis notis ad Canones Trullanos* apposite animadvertit. Aiterum autem, privata Oratoria in domibus Laicorum, subsequenter etiam sæculis fuisse, cum persecutiones jam cessassent; cum in Sacramentario Gallicano, quod Mabillonius *tom. 1. Musæ Italici* impressum edidit, *Collecta* legatur, quæ recitanda erat in Missa, quæ celebratur in domo *capitulat*; nec ad hujusmodi quidem assumptum alia deficienti probationes, quas Nos in Tractatu nostro de *Sacrificio Missæ sect. 1. §. 10.* cum cura colligere studuimus. Tertium porro est, de tollendis hujusmodi Oratoriis privatis in domibus Laicorum; seu potius facultatibus Missam in ipsis celebrandi, pluries cogitatum esse. Nihil de Justiniani Novella 58. dicitur, in qua, ne in domesticis Oratoriis celebraretur, lege interdixit, tantummodo permittens, ut in eisdem oraretur: nihil præterea de Novellis 4. & 15. Leonis Sapientis, qui prohibitionem subulisse asserens, adeo tunc privata Oratoria multiplicata fuisse, in quibus Missæ celebrarentur, ut non solum optimates, sed mediocres etiam conditionis homines in suis domibus eadem haberent. Quod vero spectat ad ea monumenta, quæ proxima temporibus nostris sunt, satis erit illa indicare, quæ in dicto Tractatu de *Sacrificio Missæ loco superius citato* à Nobis allata fuerunt.

§. 10. Quartum, quod licet fere semper in Laicorum domibus privatorum Oratoriorum usus habitus fuerit, in quibus Missa celebratur; semper tamen Episcoporum licentia necessaria fuit: Ad quam concedendam, ipsi valde faciles plerumque erant. Missarum solemnitas non ubique, sed in locis ab Episcopo consecratis, vel ubi ipse permiserit, celebranda censetur. Verba sunt *Can. Missarum de Consecrat. dist. 1.* Hac autem facilitate, propter quam interdictum factum est, ut Oratoria domestica, licet frustra, prohiberentur, multo magis in usu sunt in Ecclesia Orientali, ob id potissimum, quod in Ecclesiis Græcorum non nisi unicum Altare erat, & postquam una super ipso Missa celebrata esset, altera per eundem diem celebrari minime poterat. Ballamon in *Commentariis ad Canones Trullanos* testatur, quod sine ulla alia formula, impertita ab Episcopo celebratur Sacrosancti licentia celebrandi Missam in privatis Laicorum



rum Oratorii, quoties super Mappis ab Episcopo consecratis celebraretur.

§. 11. Postremum autem, quod dicimus, illud est. Quum post varios sermones in Sacro Concilio Tridentino hac de re habitos (quod Concilium, tam magna cum Polonici Regni gloria, tanto plausu acceptum fuit, opera Cardinalis Osii, & Nunci Commendoni in magno Conventu habito coram Rege Sigismundo Augusto, quemadmodum in ipsius Concilii Historia per Cardinalem Pallavinum conscripta lib. 24. cap. 13. videre est) in sess. 22. in Decreto de Observandis, & evitandis in celebratione Missæ, sequenti modo statutum, & ordinatum fuerit: Neve patiantur, de Episcopo, pis sermo est, privatis in domibus, atque omnino extra Ecclesiam, & ad Divinum tantum cultum dedicata Oratoria, ab iisdem Ordinariis designanda, & visitanda, Sanctum hoc Sacrificium cum à Sacularibus, aut Regularibus quibuscumque, peragari, cum adjecta derogatione cuiuslibet privilegii, exemptioni, & consuetudini: non obstantibus privilegiis, exemptionibus, appellationibus, ac consuetudinibus quibuscumque; ex eo factum esse, ut non amplius Episcopis facultas sit concedendi usum Oratoriorum privatorum in domibus Laicorum, causa in iisdem Missam celebrandi; cum licentia, quæ ab ipsis daretur, celebrandi Missam in Oratoriis privatis, nequam stare possit cum præcepto à Concilio eidem ipsis impostum, ne id permittere debeant; ac proinde prædictum Jus ad Sanctam Sedem devolutum fuisse, quoniam circumstantiæ temporum, & Oratoriorum privatorum in Laicorum domibus dilatio minime permittebant, ut eadem prorsus abolerentur. Atque hujusmodi semper fuit Conciliaris textus intelligentia, quam tradidit Congregatio Concilii, privativa ejusdem interpretis: quæ etiam à fel. record. Prædecessore nostro Paulo Papa V. in Epistola Encyclica anno 1615. ad omnes Episcopos expedita, approbata fuit; quæ quidem Epistola tum apud varios Auctores, tum etiam in citato Tractatu nostro de Sacrificio Missæ sect. 2. §. 42. impressa reperitur. Et in ea quidem alia quæcumque Verborum Concilii intelligentia reprobatur, multaque de irreverentia erga Missæ Sacrificium dicuntur, cui nimia Episcoporum facilitas in concedenda licentia sine ulla limitatione, aut cautela, non parum fomenti præbebat. Denique in eadem ita concluditur: Facultatem hujusmodi licentias dandi, ipsius Concilii Decreto, uniuicuique ademptam esse, solumque Beatissimo Romano Pontifici esse reservatam.

§. 12. Postquam Jus concedendi Oratoria in privatis Laicorum domibus Sedi Apostolicæ reservatum fuit, dici vix potest quantum curæ, ac diligentia adhibendum sit pro recto ejusdem moderamine. Quæ de re in Archivo Congregationis Concilii, cujus olim Secretarii munus Nos ipsi ante-

quam ad majores Dignitates ascenderemus, plures per annos gessimus, authentica documenta reperuntur. Hæc tandem pro lege statuta fuerunt, quemadmodum ex formulis Litterarum in forma Brevis, quæ conceduntur, colligere licet: Oratorium scilicet parietibus, per quos ab omnibus aliis domesticis usibus segregetur, extructum esse debere; idem prius vel ab Episcopo, vel ab alio, cui ipse vices suas delegaverit, visitandum esse, inspiciendi gratia, num decens, & apte compositum sit, & num aliquid eorum, quæ necessaria sunt, in eodem delit; ut Episcopus sit, qui celebrandi Missam licentiam impertiatur, & quod licentia hujusmodi secundum rationabile illius arbitrium perduret; nec plures in die, sed unica tantum Missa in Oratorio celebretur; & quod hæc Missa celebretur à Sacerdote, vel Saculari, vel Regulari, dummodo Sacularis ab Episcopo, approbatus sit, Regularis autem licentiam habeat à suo Regulari Superiore; ne Missa celebrari possit diebus solemnibus Paschatis Resurrectionis, Pentecostes, Nativitatis Domini nostri Jesu Christi, & aliis solemnioribus diebus, quos inter etiam enumerantur dies Epiphaniæ, & Ascensionis Domini, Annuntiationis, & Assumptionis Beatæ Mariæ Virginis, Omnium Sanctorum, necnon Sanctorum Apostolorum Petri, & Pauli, ac Titularis Ecclesiæ Loci: Exprimuntur personæ, quarum præsentia necessaria est, ut in privato Oratorio Missa celebrari possit; alia item, quæ dum prædictis præsentibus Missa celebratur, eidem interesse possunt, & Ecclesiastico præcepto satisfacere; denique declaratur, omnia sine Parochialium jurium præjudicio fieri debere.

§. 13. Atque hæc sunt, quæ in consuetis privatorum Oratoriorum Brevis continetur. Quædam vero alia expediri contingit Brevia, quæ extraordinaria sunt: ut quam exempli gratia, justis cuiuspiam de causis concessio sit, ut secundam Missam celebrari facere possit, vel, ut eadem aliquanto citius, aut aliquanto serius eo temporis limite, seu termino celebretur, qui in Rubricis præfixus est; vel etiam in diebus exceptis; & alia hujusmodi. Cum autem interdem tam circa Brevia privatorum Oratoriorum prioris speciei, quam circa alia, ac generatim super omnibus controversiæ exorta sint; Apostolica Sedes per hujusmodi occasiones opportunis rationibus super hoc providere non prætermisit.

§. 14. In ordinariis Brevis, ut plurimum duobus Conjugibus licentia conceditur faciendi, ut in privato Oratorio Missa celebratur; exprimiturque, ut Missa celebrari possit tum iisdem præsentibus, tum eorum filiis, consanguineis, atque affinis, qui una cum ipsis in eadem domo habitacionem habent. Nunquam exorta difficultas est, an, cum aut Vir, aut Uxor Missæ intersint, si consanguinei, & affines, qui in eadem domo habitant, præsentibus pariter adint, Ecclesiastico præcepto die-

bus

bus Festis satisfaciant; id tanquam tutum, ac Brevis literæ coherentem habitum est. Summa autem difficultas eo semper rediit, ut dispiceretur: num, cum neuter Conjugum adsit, sed unus ex consanguineis, aut affinis in eadem domo habitantibus, possit, eo jubente in privato Oratorio Missa celebrari; & num alii, qui in domo illa habitant, consanguinei, & affines, eandem audientes Festo die, Ecclesiastico præcepto audiendi Missam satisfaciant. In hoc autem divise de more Auctorum opiniones erant; verum cum hujusmodi difficultatis punctum in Congregatione Concilii die 3. Decembris 1740. in causa, cujus inscriptio erat: *Marsiliæ Oratorii*, propositum, ac discussum esset; decisum fuit, non posse in privato Oratorio Missam celebrari, nisi Indultuariorum præsentia ibidem haberetur; quod idem est ac si dicatur, Viri, vel Uxor, ad quos Breve directum erit; quemadmodum in tom. 9. Resolutionem Concilii anni 1740. ad pag. 89. & seq. videre est.

§. 15. Cum autem Decreti hujusmodi facta Nobis relatio esset, idem per Nos sub die 7. Januarii 1741. confirmatum fuit; ac præterea demandatum, ut in hujusmodi Brevis, in quibus certis quibusdam, ac determinatis personis concessio sit, ut unam in privato Oratorio Missam celebrari facere possint, quæ Missa pro filiis, consanguineis, & affinis valeat, majoris claritatis gratia, subiecta clausula adjungatur: Volumus autem, quod nati, ac consanguinei, & affines prædicti unicam, dictam Missam, vobis quidem præsentibus, audire tantummodo, nunquam vero celebrari facere audeant. Ut autem, quæ Indultariæ personæ sint, facile agnosci possent, sine quarum præsentia Missa celebrari non potest, neque; qui eandem audit, præcepto satisfacit; adjunximus, ut pro Indultariis personis illa haberetur, quæ in fronte, seu inscriptione Brevis nominatæ forent; cum ad easdem ipsas Breve dirigatur.

§. 16. Nos ab hujusmodi norma minime recessimus: verum quia aliqua interdum in corpore Brevis persona nominatur, qua præsentem, conceditur, ut Missa celebrari possit, & quod alii affines, consanguinei, vel familiares eandem audientes, præcepto satisfaciant, etiam prædicta persona in fronte Brevis minime nominatur; hinc est, quod, firma semper ea regula manente, ut possit in privato Oratorio Missa celebrari, dum aliqua ex Indultariis personis adfuit, quæ in fronte, seu inscriptione Brevis nominatur; dicimus, posse Missam celebrari, etiam si nulla earum personarum præsentem adfit, quæ in fronte, seu inscriptione Brevis nominatur, dummodo illa præsentem sit, cui in Brevis corpore nominatum, & expresse facultas tribuitur, ut possit in privato Oratorio tum cum ipsa adfuerit, facere, ut Missa celebratur.

§. 17. Atque ut res exemplo magis pateat: Datur viro & uxori facultas faciendi, ut in privato

Oratorio Missa celebraretur, atque ad hos Breve dirigitur. Hic autem vir superfluum habet Matrem; hæc vero in fronte, ut dispiceretur: num, cum neuter Conjugum adsit, sed unus ex consanguineis, aut affinis in eadem domo habitantibus, possit, eo jubente in privato Oratorio Missa celebrari; & num alii, qui in domo illa habitant, consanguinei, & affines, eandem audientes Festo die, Ecclesiastico præcepto audiendi Missam satisfaciant. In hoc autem divise de more Auctorum opiniones erant; verum cum hujusmodi difficultatis punctum in Congregatione Concilii die 3. Decembris 1740. in causa, cujus inscriptio erat: *Marsiliæ Oratorii*, propositum, ac discussum esset; decisum fuit, non posse in privato Oratorio Missam celebrari, nisi Indultuariorum præsentia ibidem haberetur; quod idem est ac si dicatur, Viri, vel Uxor, ad quos Breve directum erit; quemadmodum in tom. 9. Resolutionem Concilii anni 1740. ad pag. 89. & seq. videre est.

§. 18. In consuetis, five ordinariis Brevis, solemnes, quemadmodum dictum est, dies excipiuntur, quos inter Natalis Christi Domini dies recenseatur, in quo tres à quolibet Sacerdote Missæ celebrantur. Interdum illi, qui privati Oratorii Breve habet, extraordinarium Breve conceditur, in quo eidem; valetudinis causa, Missam domi audire diebus etiam exceptis permittitur. Cum autem in hujusmodi Brevis de unica tantum Missa sermo sit; orta difficultas fuit: num possent die Natalis à Sacerdote, qui in ipso celebrabat, tres Missæ celebrari, de quo cum Nos eo tempore, quo Concilium ejusdem à Secretis eramus, peculiarem dissertationem conscripsissemus, atque in lucem edidissemus, sub die 13. Januarii anni 1725. resolutum à Congregatione fuit, quod à Sacerdote tres Missæ celebrari possent; quemadmodum tom. 3. Theſauri Resolutionem pag. 109. & seq. & pag. 116. videre est.

§. 19. Reliquum est, ut de Sacris Functionibus dicatur, quæ in iis Oratoriis fieri possunt, quæ in domibus privatorum sunt, & in quibus non plures, quam unicam tantum Missam celebrari permittuntur, nisi cum forte cuiuspiam ex speciali gratia concessa facultas esset faciendi, ut secunda celebraretur. Quod ad Baptismatis Sacramentum attinet; jam in Viennensi Concilio sub Pontifice Clemente V. Decretum fuit, ne Baptismus in aliis locis conferri possent, præterquam in Ecclesiis, in quibus Sacri hujus lavacri Fontes reperuntur, nisi cum casus necessitatis adesset, aut cum de Regum, vel Principum filiis ageretur, quemadmodum in Clementina unica de Baptismo, & ejus effectu, videre est.

§. 20. Quod autem Sacramentum Penitentia respicit, jam in Rituali Romano sub Titulo de Sacram. Penitent. cum de Sacerdote sermo fit, qui Confessiones audit, statutum fuit: In Ecclesia, non autem in privatis aedibus, Confessiones audiatur, nisi ex causa rationabili, quæ cum incidit, studeat tamen id decenti, ac patienti loco præstare, Rituale à Pontifice Paulo V. confirmatum fuit. Et magnum Ecclesiasticæ disciplinae Instaurator Sanctus Carolus Borromæus, tum in Instructione Sacramenti Penitentia, tum in Monitis ad Confessarios, atque in primo suo Provinciali Mediolanensi Concilio,

K 2

lio,



lio; id inculcare non prætermisit, quemadmodum in Actis Ecclesiæ Mediolanensis, editionis Civitatis ejusdem *part. 1. pag. 11. part. 4. pag. 520. eadem part. 4. pag. 761. & pag. 773.* videre est; *pag. autem 775.* Superioribus Regularium inculcat, ut id à Subditis eorum exactè adimplendum curent. Cum autem à prædictis Confessariis Regularibus prolata in medium facultas esset audiendi ubique Confessiones Fidelium, quem sibi ea ratione aserebant, quod in Pontificis Clementi XI. Bulla: *Superna* nulla loci limitatio fieret; idem ipse Pontifex declaravit, *nulam facultatem* (in prædicta Constitutione sua) fuisse tributam regularibus audiendi Confessiones sacramentales in privatis domibus, ac proinde minime licere eisdem Regularibus cujusvis Ordinis, *et. Sacramentum Pœnitentiæ administrare in domibus privatis extra casus à Jure permisso.* Quod decretum cum Præsulis Fagnani subscriptione editum, variis in locis impressum est; ut in Appendice ad Synodum Fulginatensem, quæ à bon. mem. Iosaphat Baptistelli Civitatis ejusdem Episcopo anno 1722. celebrata fuit.

§. 21. Quod pertinet ad Communionem Paschalem, quæ ab unoquoque Catholico Paschali tempore recipienda est, ex præscripto tum Decreti Concilii Lateranensis in *Cap. Omnis utriusque sexus, de Pœnitentiis, & remissionibus*, tum Concilii Tridentini *sess. 13. cap. 8. can. 10.* nemo est, qui ignoret, præceptum hoc in propria Parochiali Ecclesiâ adimplendum esse, aut in alia Ecclesiâ cum proprii Episcopi, vel Parochi licentia, secundum varias Diocesum consuetudines. Porro fel. record. Prædecessor noster Paulus Papa IV. Fratris Minoribus privilegium concessit, ut Sacramentum Eucharistiæ omnibus Christi fidelibus in eorum Ecclesiis distribuere possent, excepta tamen die Paschatis Resurrectionis: atque hoc privilegium à sanctæ memoriæ altero Prædecessore Pio Papa V. *per communicationem*, ut dicitur, ad omnes Regulares extensum fuit.

§. 22. Verum quia, secundum præcedentem Eugenii IV. Constitutionem, Paschale tempus, intra quod Communionis præceptum adimplendum est, à Dominica Palmarum initium habet, ac Dominica in Albis terminatur; cum exortum dubium fuisset, num licitum Regularibus foret intra præscriptum eorumdem dierum terminum Sacramentum Eucharistiæ Fidelibus in eorum Ecclesiis distribuere; resolutum fuit; die Paschatis nemini distribui posse, ne illis quidem, qui intra Sanctiorem Hebdomadam Paschali præcepto in propria Parochiali Ecclesiâ satisfecerint; posse quidem Regulares aliis Paschalis temporis diebus Fideles in eorum Ecclesiis Sacramentum Eucharistiæ reficere; hac tamen conditione, ut Communionem refecti scirent, non ideo se à præcepto illo exemptos esse, ut Paschalem in propria Parochiali Ecclesiâ Communionem recipere deberent. Illustria Congregationis Concilii Decreta sunt qui-

buisdam in Causis, Senonensividelicet, Burdegalensis, & Mechliniensis, quæ à Nobis in nostro *de Synodo Diocesana Tractatu lib. 7. cap. 42. num. 3.* relata sunt.

§. 23. Extra Paschalem vero Communionem, cum in Sacro Tridentino Concilio *sess. 22. cap. 6. de Sacrificio Missæ*, quæ subijcimus verba legantur: „Optaret quidem Sacrosancta Synodus, ut in singulis Missis Fideles adstantes non solum spirituali, sed Sacramentali etiam Eucharistiâ perceptione communicarent, quod ad eos Sanctissimi hujus Sacrificii fructus uberior perveniret, non defuit qui ex iisdem verbis deduceret, quod certe, & clare inde consequatur, ut in privatis Oratoriis, quando in ipsis celebrandi Missam facultas est, distribui Eucharistiâ possit illis, qui Missæ præsentibus adstant; neque ad hoc præstandum illo particulari Indulto opus sit. Super hujusmodi questionis capite Nos in *nostra Instruct. 34. §. 3.* differuimus, inter eos, quas tum, cum Bononiæ resideremus, Ecclesiæ illius Archiepiscopatum gerentes, publicavimus, quas quidem Institutiones cum Italico Sermone edidissimus, postea Romæ Latine reddidit, atque impressæ sunt. Ibi autem expositam paulo ante opinionem retulimus; verum aliam esse subjunctam, quæ Episcopi licentiam requirit, ut qui domesticum Oratorium domi habet, dum Missam in eodem interest, communicare possit. Hujusmodi opinio cum bono rerum ordini, tum Romanæ etiam consuetudini, sive praxi, cohærens Nobis visa est; ac proinde ordinavimus, ne in privato Oratorio recipi Communio possit ab illis, qui in eodem Missæ interfunt, quam, vel Secularis Sacerdos, vel Sacerdos Regularis celebraret, nisi vel nostram, vel Generalis Vicarii nostri licentiam obtinisset.

§. 24. Neque etiam in præsens voluntas Nobis, aut ratio est, cur ab hoc Systemate recedamus. Si quidem, cum Nos in magna illa controversia, super Communionem illis distribuendam, qui Missæ præsentibus cum sint, eandem petunt, quæ aliquot abhinc annis in Italia exorta fuit, postquam Tridentini Concilii verba retulissimus, atque eorum zelum commendavimus, qui inter Sanctæ Missæ celebrationem Communionem recipiunt; Ecclesiasticos quoque Pastores excitavimus; ne Eucharistico cibo illos fraudarent, qui ejusdem famelicis forent; cum, inquam, animadvertissemus, ejusmodi circumstantias dari posse, in quibus vel temporis, vel loci ratione, Episcoporum prudentia opportunum factu existimet, Sacramentum Eucharistiæ etiam illi, qui Missæ interfuit, minime distribui; eo magis quod, juxta præsentis temporis disciplinam, libera eidem facultas pateat, ut eandem alio loco, atque alio tempore recipere possit; ordinavimus, ut in hoc Decreto proprii Superioris præcepto obedientia præstari deberet; cui qui moram gerere recuasset, nimis manifestum iudicium præbuisset, quam parum animo dis-

dispositus, ac paratus esset ad Altaris Sacramentum recipiendum; quemadmodum in Litteris nostris, quarum initium est: *Certiores effecti*; & quæ in Bullario nostro *tom. 1. num. 64.* leguntur, videre est.

§. 25. Atque hæc sunt, Venerabiles Fratres, quæcumque in Encyclica hæc Epistola nostra vobis exponere opportunum existimavimus; à quo quidem fati intelligitur, quod legendis, & considerandis Apostolicis Litteris concessionum Oratorii, Decessorum nostrorum Decretis, harum Congregationum Resolutionibus, quæ à Nobis, etiam in præsentia confirmata sunt, nullus amplius litibus, & controversiis locus reliquus sit. Verum quia vos illud fortasse Nobis responsiuris arbitramur, optime quidem hæc omnia habere, verum eo difficultatem redire, quod quæcumque decreta, atque ordinata sunt, minime observantur; ne grave vobis sit, hoc per Nos reponi, quod si inobservantia ex neglecta Brevium lectione, & consideratione, aut ex ignorantia Decreto, tum; & Pontificiarum resolutionum, originem habet, Nos quidem in hoc nunquam culpandi erimus; idque nunc maxime, postquam; ingravescente licet ætate nostra, & multis, ac difficillimis curis assidue Nos prementibus, in Encyclicam hæc Epistolam nostram, quidquid hæc super se scire opus erat, inferere non detrectavimus.

§. 26. Quod si vos etiam id præstare curabitis, ut in Diocesani Synodis vestris, in vestris item Edictis, quæ à vobis pro bono Diocesis vestræ regionis publicantur, Pontificiarum Decretorum, ac Resolutionum desuper indicatarum observantiam inculcatis; duplex inde bonum extabit, ut, & vivam in vobismetipsis eorumdem memoriam teneatis, atque ab aliis, aut ignorantiam expellatis, aut eandem, utpote crassam deinceps, atque supinam, inexcusabilem reddatis. Hanc agendi rationem, ac normam tenuerunt, atque in præsentia tenent nostri Italici Episcopi, qui aut Pontificiarum Decretorum, quæ super privatis Oratoriis condita sunt, Summam in Synodis suis inferunt, aut in Appendice ad ipsas Synodos eadem Decreta *per extensum* adjunxerunt, quemadmodum in Synodo anno 1724. à bon. mem. Cardinali de Via Arimini habita, in altera anno 1726. celebrata à bon. mem. Cardinali Pignatelli, Archiepiscopo Neapolitano, atque etiam in ea, quæ anno 1736. habita fuit à Ven. Fratre nostro Annibale Cardinale Albano, Sabinensi tunc temporis Episcopo, atque in aliis multis, videre est.

§. 27. Non ex eorum numero Nos sumus, quibus peritissimum sit, omnia in nostra tempora inconveniētia incidere, atque ea præsentibus diebus contingere (candala, quæ nunquam præteritis temporibus evenierint. Satis superque pro certo habemus, ea, quæ hodie sunt, alio tempore accidisse. Ac ne à proposito re longius recedamus, illud dicemus, quod si hodie sacræ leges ad privata Oratoria per-

tinentes à Sacerdotibus violantur, propter præsidium, quo nituntur, Magnatum Saeculi, apud quos Capellani munere interviunt; idem nono etiam Saeculo eveniebat, cum S. Agobardus tunc temporis Archiepiscopus Lugdunensis, de eadem re quærat in suo Tractatu de *Privilegio, & jure Sacerdotii, cap. 11.* Non tamen idcirco vobis Sacerdotalis constantia, atque animus deponendus est. Pia, ac religiosa Polonorum Natio est; & si quando aliquis abusus in privatis ejusdem Oratorii contingat, cum id Magnati, ejus in domo commissus, aut introductus est, notum fiat, rationes adducendo, & ostendendo, quod per abusus privilegium amittitur; sperare est, ipsum omne (sunt inobedienti Capellano præsidium certo sublaturum. Et si quando infortunium accideret, ut hæc ratione finis non obtineretur; præsto vobis semper spiritualia arma sunt, quibus contra Capellanum uti potestis. Fortasse autem si hæc ratione factum esset, quum primum de inconvenienti resciturum fuit; pæce omnium dicemus, res non eo progressuras fuisse, in quo nunc statu sunt, sicut ex recuribus ad Nos de laris notum factum est, quorum causa ad Encyclicam hæc Epistolam nostram conscribendam animam adduximus.

§. 28. At enim inconvenientia à Privilegiis, & Exemptis proficisci vos fortasse dicturos prævidemus, nimirum à Regularibus, de quibus in prædicto recurfu ad hæc Sanctam Sedem factis plurâ infirmantur. Nos autem id vobis dicimus, nulla privilegia, nec exemptiones esse, quæ impedire possint, quominus abusus extermineur.

§. 29. Habebant sine dubio Regulares privilegium Altaris viatici, & ut super eodem Altari Missam, ubicumque locorum forent, sine ulla Episcoporum licentia, celebrare possent, quemadmodum in Decretali Honorii III. in *cap. in his, de Privilegiis*, videre est; à quo deinde privilegio fiebat, ut Missam possent celebrare, etiam in domibus laicorum, sive super Altari viatico, sive super Altari fixo, etiam si laicus privilegium Oratorii privati minime haberet; propter eam rationem, quod privilegium celebrantis suum vigorem haberet, licet celebrationis locus minime privilegatus foret. Verum cum Sacrum Tridentinum Concilium in citata *sess. 22.* in Decreto jam citato de *Observandis, & evitandis in celebratione Missæ*, Episcopis præcepisset, ne permittant, ut in privatorum domibus Missæ celebrentur *à Regularibus quibuscumque*, eidemque dedisset facultatem procedendi tanquam Apostolica Sedis Delegatos, contra refractarios: *Ut Delegati Sedis Apostolicæ*; atque omnibus privilegiis, exemptionibus, & consuetudinibus contrariis, cujuscumque generis essent, derogasset; „Non obstantibus privilegiis, exemptionibus, & appellacionibus, ac consuetudinibus quibuscumque;“ hinc necessario consequitur Sacrum Concilium Tridentinum; tam præ-



præcedentibus Altaris viatici privilegiis derogasse, quam facultati Missam in privatorum domibus, sine Episcopi licentia, celebrandi; atque ulterius Episcopum, tanquam Sedis Apostolicæ Delegatum, contra inobedientes procedere posse, etiam si exempti sint; nullum vero amplius esse privilegium, vel exemptionem, quæ obstat, quæque impediat, quominus abusus tollantur.

§. 30. Nihil autem valet ea, quæ à quibusdam promovetur, assertio, videlicet, Concilium privilegio, de quo agitur, minime derogasse, eo quod illud in corpore Juris inclusum sit; etenim Sacrum Concilium Tridentinum iis etiam derogare privilegiis consuevit, quæ in corpore Juris inclusa sunt, nulla etiam de iis expressam mentionem faciendo, sed simpliciter aliquid contrarium ipsis determinando, generali adjecta ad contraria privilegia derogatione; quemadmodum celebris Præful Fagnanus in cap. Nonnulli, num. 42. & seq. sub tit. de Rescriptis ample demonstrat.

§. 31. Quod si forte quis hoc unquam objiceret, concessum sæpe ab Apostolica Sede fuisse, atque etiam nunc, post Tridentinum Concilium, Altaris viatici usum concedi; Fraternitatibus vestris notum esse debet, hujusmodi privilegium in iis locis concedi, ubi Ecclesiæ non sunt, aut si sunt, talis Hæreticorum potentia est, ut in eisdem Catholici non sine gravi periculo ad audiendam Missam venire possint. Uno verbo, præcite necessitate providet; quod quidem, ut optime perspicitis, ab eo, de quo agimus, casu, plane diversum est.

§. 32. Gregorii XIII. Decessoris nostri privilegium legitè, quod anno 1580. Fratribus Ordinis Prædicatorum Provinciae Polonicae concessit, quod Bullarii Religiosæ illius Familiæ tom. 7. pag. 192. inferunt est: „In quibusdam Civitatibus, Oppidis, & locis Provinciae Poloniæ tanta hæreticorum potentia, & impietas existit, ut Catholicos impune opprimant, nec ipsæ Catholicis Missas in Ecclesiis, quarum raritas in illis partibus existit, audire tuto liceat. Nos publicationibus tuis in hac parte inclinati, tibi, ac pro tempore existenti Ordinis Fratrum Prædicatorum Provinciae Poloniæ Priori Provinciali, ut licentiam, & facultatem dictis Professoribus Altaria portatilia habendi cum debitis reverentia, & honore, super quibus in domibus Nobilium Civium, & Incolarum Civitatum, Oppidorum, & locorum dictæ Provinciae, in quibus vel Ecclesiæ defunt, vel tanta est hæreticorum potentia, & impietas, ut impune opprimant, in locis ad hoc congruentibus, & honestis, per se ipsos Missas in præsentia personarum Catholicarum celebrare possint, in calibus necessitatibus tantum, ita quod eis ad culpam nequeat imputari, concedere valeatis, Apostolica auctoritate tenore præsentium de speciali gratia indulgemus.

§. 33. Legite item jam superius citatum Cle-

mentis XI. Decretum, quod, majoris etiam commoditatis vestra gratia, hic annexum vobis transmittimus; etiam, tum cum illud conditum fuit, præter publicationem ejusdem Romæ factam, ad Ordinarios per loca, tan intra, quam extra Italiam, transmissum fuisse sciamus. Ab ipso autem, absque eo quod nostris rationibus, & animadversionibus Nos idem roborandum suspiciamus; (quod quidem facere Nobis in proclivi esset cum præstantiorum, inter Pontificii Juris peritos Auctorum assertiones ubique in promptu sunt) manifeste cognoscere poteritis, subsistant necne amplius portatilis Altaris privilegia, quæ Regularibus concessa fuerunt, & num à Tridentino Concilio eisdem fuerit derogatum. Cognoscetis, num permissum Regularibus sit, secundam in privato Oratorio cuiuspiam concessio Missam celebrare, cum prima jam celebrata est, nec pro secunda hujusmodi Missa peculiare Indultum adest. Cognoscetis, num in prædictis privatis Oratoriis licitum eisdem sit, vel ante Auroram, vel post meridiem, Missam celebrare; num celebrare eandem possint diebus iis, qui in Indulto excipiuntur. Cognoscetis demum, num, exemptione non obstante, contra delinquentes procedendi potestas vobis sit. Licet autem nulla omnino hujusce rei necessitas sit, illud Nos in præsentia Decretum confirmamus, ac Fraternitatum vestrarum cura committimus, ut pro exacta ejusdem observantia invigiletis; cum minime commendatione dignum sit ad Sedem Apostolicam recurrere; inconvenientia exponendo, nisi prius adhibita cum vigore ea remedia sint, quæ ab ipsa Apostolica Sede contra hujusmodi inconvenientia submissa fuerunt.

§. 34. In eo, qui ad Nos factus est, recursus, alterius etiam inconvenientis mentio fit, quod scilicet, sine licentia vestra, Regulares exorcizent; de hoc tamen nihil dicitur, utrum per vos, aut in Synodis vestris, aut in vestris Edictis decretum fuerit, ne ullus Sacerdos, vel Sæcularis, vel Regularis exorcizare audeat, sive in sua, sive in aliena Ecclesia, sive intra, sive extra Cœnobium, quin prius à vobis approbatus sit, atque ita, quin ante licentiam à vobis obtinuerit. Hoc illud est, quod præstari debet, quodque ab Episcopis præstari solet, quemadmodum apud Clericatum de Sacram. Ordin. decis. 19. num. 42. ubi Episcopales Synodos assert, videre licet. Quod si nihilominus, postquam à vobis, tam in hac materia, quam in alia Oratoriorum privatorum, quantum in vobis est, præstitum fuerit, vestra nihilominus præcepta violantur, ac pœnæ à vobis impositæ, & inflicte negligentur; nequaquam certe Nos Officio nostro deerimus, ut totam auctoritatem nostram in favorem vestrum interponamus; cum nihil antiquius Nobis sit, quam ut Episcoporum, qui Fratres nostri sunt, jura facta tecta serventur. Interim tam Fraternitatibus vestris, quam Populis curæ vestrae commissis Apostolicam Benedictionem pe-

ramanter impertimur.

Datum ex Arce Gandulphi die 2. Junii 1751. Pontificatus nostri anno undecimo.

## DECRETUM FOELICIS recordationis Clementis Pap. XI. circa celebrationem in Oratoris privatis emanatum 15. Decembris 1703.

Nonnulli Episcopi, & complures Regulares, sub prætextu privilegiorum; ea sibi licere putant, quæ prohibita sunt; siquidem Episcopi etiam in aliena Diocesi, extra domum propriae habitationis, in privatis Laicorum domibus erigi faciunt Altare, ibique per unum, aut plures à suis Capellanis vivificam Christi Hostiam immolari; Regulares vero in quibusdam Magnatum, seu aliarum Nobilium personarum privatis Oratoriis, quæ certis quandoque ex causis à Sede Apostolica concedi solent, celebrare audent, vel plures Missas, quam in iis sit indultum, vel absque præsentia personarum, quarum contemplatione gratuita concessio emanavit, vel extra debitas horas, & post meridiem, vel illis etiam diebus, quibus per Constitutiones Diocesanas, aut etiam Decreta Sacrae Congregationis Concilii celebrari prohibetur, aut quæ in ipsis Indultis Apostolicis excipiuntur, quominus in illis celebrari possit; aut etiam Altari portatili uti non verentur; in Sacrarum Sanctionum contemptum, ac Sancti Sacrificii irreverentiam. Quamobrem, ad abusus hujusmodi eliminandos, & ad instaurandam venerationem tremendo Mysterio debitam, Sanctissimus Dominus noster, ex unanimi Voto S. R. E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, in hærendo declarationibus alias hac de re editis, expressè declarat: Episcopis, & his majoribus Prelatis, etiam Cardinalatus Dignitate fulgentibus, neque sub prætextu privilegii clausi in corpore Juris, neque alio quoquo titulo, nullo modo licere, extra domum propriae habitationis, in domibus Laicis, etiam in propria Diocesi, quod

fortius intelligitur in aliena, etiam si Diocesana, consensus adhiberetur, erigere Altare, ibique Sacrosanctum Missæ Sacrificium celebrare, sive celebrari facere. Ac pari modo in Oratoris privatis, quæ per Sanctam Sedem concessa fuerint, non licere Regularibus cujusvis Ordinis, aut Instituti, seu Congregationis, etiam Societatis Jesu, aut etiam cujuscumque Ordinis Militaris, etiam S. Joannis Hierosolymitani, aut aliis quibuscumque Sacerdotibus, etiam si essent Episcopi, in iis celebrare in diebus Paschatis, Pentecostes, Nativitatis Christi Domini, aliisque anni Festis solemnioribus, ac diebus in Indulto exceptis. In reliquis vero diebus, prædictis Regularibus, & Sacerdotibus quibuscumque, etiam Episcopis, in præfatis Oratoris celebrare non licere, ubi jam unica Missa, quæ in Indulto conceditur, fuerit celebrata; super quo celebraturus tenetur diligenter inquirere, & de eo se optime informare; atque illa etiam in casibus præmissis celebrari nequeat post meridiem; demandando ulterius, & declarando in omnibus casibus, personas quascumque dictas Missas audientes nullatenus præcepto Ecclesiæ satisfacere. Quo vero ad Altare portatile, iterum inhærendo declarationibus supradictis, censuit, licentias, seu privilegia concessa nonnullis Regularibus in cap. In his, de Privil. ac per aliquos Summos Pontifices aliis Regularibus communicata, utendi dicto Altari portatili, in eo, quæ celebrandi absque Ordinarii licentia, in locis, in quibus degunt, omnino revocata esse per idem Concilium Tridentinum, atque idcirco eisdem Regularibus prohibendos, ne illis utantur, ac mandandum, prout præsentis tenore mandat Episcopis, aliisque Ordinariis locorum, ut contra quoscumque contravenientes, quamvis Regulares, procedant, etiam tanquam Sedis Apostolicæ Delegati, ad pœnas præscriptas per idem Sacrum Concilium in dicto Decreto sess. 22. cap. unico, usque ad Censuras latæ Sententiæ; tributa etiam ipsidem facultate per hoc Decretum, ita procedendi, perinde ac si per Sanctam Sedem specialiter concessa fuisset; & ita Sanctitas Sua declarat, & servari mandat, &c.